



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

198 Opta[n]tibus ex co[n]suetudine, præferri permutantes ipsos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

cia Pontificis collationi reseruata resignant ex causa permutationis in manibus ordinarij collatoris, per vim salutaris istius clausulæ *nec aliter nec alias nec alio modo* nequeunt iuari; cum certissimum sit illam clausulam apud collatores ordinarios nihil operari in resignationibus illorum beneficiorum quæ solius in potestate sunt Pontificis, quod secus est in beneficio ordinariæ collationi subiectorum resignationibus permutandi causa factis. dico permutandi causa factis, eo quod resignationes alia de causa coram ordinariis factæ conditiones planè nullas admittant, quemadmodum plenius inter superiora disputabatur dum de resignationibus in fauorem quæreretur ad c. cum olim. de rer. permut. Cōcludimus itaque, resignantes ex causa permutationis in manibus ordinarij beneficia Pontifici reseruata, nō semper excidere suis beneficiis; quod & interpretes alij nonnulli rectissimè monuerūt, vt apud Senesem est videre d. tract. de permut. quaest. 3. mirè tamen fluctuantem neque rationes viuas reddentem. Sequitur ordine quaestio de beneficiis quorum vacantiū datur optio senioribus ex consuetudine d. c. vlt. sup. de Consuet. Licet enim plerique sentiāt, resignantes ex causa permutationis talia beneficia frustrari seu eludi, nisi quatenus post omnem peractam optionem contenti velint esse beneficiis ad extremum per optantes istos dimissis, veriùs tamen esse tradunt auctores aliquot grauissimi permutantes ipsos omnibus omnino præferri.

Zaba-

196
Vis clausulæ
nec aliter
nec alias
nec alio
modo.

197
Conditionum
nullarum ca-
pases esse re-
signationes
coram Ordini-
nario factas.

198
Optantibus
ex consuetu-
dine. præferri
permutantes
ipsos.

Zabarella Cardinalis in Clementinam vnic. de rer. permut. quæst. 16. nu. 20. post alios antiquiores postque Senensem d. tractat. de permut. quæst. 28. in fin. variè tamen hoc subdistinguentè quod indistinctè reor esse statuendum quâdocumque res est dubia, veluti quando nescitur an optandi consuetudo locum habeat in beneficiis ex causa permutationis vacantibus, an non: quandoquidem plus tribui debet expresso iuri de permutationibus ad exitum deducendis d. Clement. vnic. de rer. permut. quàm tribuendum sit cõsuetudinis interpretationi dubiæ, de optando scilicet in præiudicium & ad exclusionem Expectantiũ istorum Pontificiorum de quibus quidem solis illud capit. vlt. §. de Consuetudine loquitur. Certè d. Clementina vnic. de rer. permutat. nō solūm prohibet beneficia ex causa permutationis resignata conferri aliis quàm permutantibus, verumetiam vult in effectu vt ea conferantur solis permutantibus, cuius cõtrarium fieret si beneficia sic resignata quocumq; modo cederent istis optantibus. Quod meum dictum eõ pertinet vt obstruatur os optantibus qui sophismate quodam nixi dicere fortè possent se beneficia sic vacantia non in vim collationis consequi sed ipso consuetudinis iure, ideoque se d. Constitutioni Clementinæ non contrauenire; quasi quid interesset, scilicet, an de Collatione quæreretur an de quavis alia beneficiorum adipiscendorum ratione consueta, nec enim verba sunt vnquam captanda. nempe

sicut

199

*Clementina
unica de rer.
permut. ver-
ba non esse
captanda.*